

solemniter concineretur. Leo Pontifex esse quidem fidei veritatem confirmavit, quod etiam a Filio divinus procedat Spiritus; noluit tamen præbere consensum ut Romæ usus illius ad Symbolum additionis reciperetur, ut constat ex legationis actis, quæ supersunt. Quin etiam perhibet Anastasius in vita Leonis III. hunc ipsum pro amore & cautela Orthodoxæ fidei fecisse in ead. Divi Petri scuta duo argentea, scripta utraque Symbola perhibet, unum quidem litteris Græcis, & aliud Latinis dextra lavaque. Et ejus quidem cum Legatis Aquilgranenſis Synodi colloquio perspicuum fit, vocem additamenti non fuisse ibi superadditam. Idemque subinſerunt Magister sententiarum lib. 1. dist. 11. Baronijs, Bellarminus, alique communiter.

3. Cur autem Constantinopolitanum Symbolum solius meminerit processionis a Patre, ratio in promptu est, quia cum nova Symbola edita fuerint occasione novæ insurgentis hæresis, indubitata fide fuerat creditum in universa Ecclesia Spiritum divinum a Patre Filioque produci; sed insurgens nova Macedonii hæresis prædicabat solum Filium a Patre oriri, Spiritum vero sanctum a solo Filio tamquam ipsius Filii creaturam longe Filio inferiorem, cui errori occurrendum duxit Concilium, nihil definiendo circa ea, in quæ Catholici una cum hæreticis consentiebant de processione a Filio; sed circa ea sola, in quibus diffidebant, nimirum de processione a Patre, quam hæretici inficiabantur. Ut fidem facit Basilus, lib. 2. adversus Eunomium.

DISSERTATIO II.

De Electione Summorum Pontificum, & de Cardinalibus.

1. **R**itus & ordo, quem scripsit de eligendis deinceps in conclavi summis Pontificibus per sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales istud Lugdunensæ Concilium, hæc a nobis exigit dissertationem, quæ varios electionum Pontificum ritus, qui diversis temporibus invaluerunt, simulque Cardinalitatis dignitatis initia & progressus accuratius exploremus ac investigemus.

2. Quod attingit ad electiones, vetustissima sane atque ab initio receptissima eligendorum Episcoporum forma hæc fuit, ut omnes Episcopi Provincie in unum convenientes novum crearent Ecclesiæ viduatæ Antistitem, accedente plebis testimonio, & universi Cleri, aut saltem majoris ejus partis consensu, ut his testatur verbis Cyprianus ep. 68. *Apud nos, & fere per omnes provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopus ejusdem Provincie proximi quique conveniant: & Episcopus deligatur plebe presente, qua singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Ibidemque divinis id astruit testimoniis, scilicet Num. 10. ubi Moyſi Deus jubet, ut coram universo populi cætu consecraret Eleazarum Pontificem. Et Act. ubi coram omnibus Discipulis Mathias in Judæ traditoris Apostolatam eligitur, ac promovetur. Et Act. 6. ubi Apostoli convocati perhibentur Discipulorum multitudinem pro Diaconorum creatione. Idem Cyprianus Cornelium Papam affirmat, Episcoporum porro Eminentia sic refert Petrus se legitime ordinatum, ep. 41. Idemque ep. 52. de Cornelio sic scribit: *Non ut quidam vim fecit ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est ut Episcopatum coactus acciperet; & factus est Episcopus a pluribus collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant.* Et subinde: *Factus est Episcopus Cornelius de Dei & Christi ejus iudicio; de Clericorum pene omnium testimonio; plebis que tunc adfuit suffragio, & de antiquorum Sacerdotum & honorum virorum collegio.* His suffragatur facta Nicæna Synodus can. 4. & 6. *Episcopum decernit constituendum esse ab omnibus Provincie Episcopis, aut saltem assentiente majorum parte.* Quod idem sancivit Concilium Antiochen. can. 19. Similiter S. Leo Papa ep. 92. ad Rusticum: *Nulla (ait) ratio finit ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec ab Episcopis Provincialibus cum Metropolitanis iudicio consecrati.* Atque habetur in c. nulla ratio, dist. 62.

3. Illo itaque ritu Romani Episcopi creabantur, ut liquet ex assertionem Cypriani. In electione tamen Damiani primum interponi cepit Cæsaris auctoritas, occasione schismatis ab Ursicino suscitati. Idemque iteratum post hæc in aliis quibusdam ex schismate ortis diffidiis. Res quippe compositæ sunt a Valentino inter Damasum & Ursinum. Et ab Honorio inter Bonifacium & Eulalium. Et a Theodorico Rege inter Symmachum & Laurentium. Postmodum Justinianus Imperator recepta de Gothia Italia; noluit quemquam in Romanum Pontificem admitti, nisi post suam approbationem. Id-

que usque adeo sub illo, & qui eidem succedere Augustis, usu servatum est, usque ad Constantinum quartum Imperatorem, qui Benedicti secundi Pontificis horatu, omnem remisit creandi Papæ potestatem Romano Clero & populo.

4. Sigebertus Monachus Gemblacensis schismaticus historicus, atque Imperatoris Henrici partes adversus Romanæ Pontifices propugnans, fabulam commentus est Synodi Romanæ centum quinquaginta trium Episcoporum, in qua Hadrianus Papa Carolum Magnum insigni decoravit privilegio, non confirmandi novi Papæ electionem, quod quidem jus a Justiniano usurpatum in successores Imperatores dimanarunt; sed quod hæcenus fuerat inauditum, sola propria auctoritate Pontificis pro suo libito eligendi, & præterea Episcopos singulas provincias pariter eligendi, & per investituram præficiendi vacantibus Ecclesiis. Post Sigebertum Gratianus nimia credendi facilitate adductus, commentitium illud Concilii decretum suæ canonum collectioni confarcinavit. Quæ res multos incautos, ipsumque Onufrium decepit. Sed hæc fabulam validissimis argumentis Baronijs refellit; quibus alias superaddit Parisiæ roboris convictiones Joannes Morinus, in historia originis & progressus temporalis Romanorum Pontificum potestatis. Canon itaque incipiens: *Hadrianus Papa, &c.* et in Synodo dist. 62. dignus est, qui expungatur, & obliteretur cum eo, qui præcedit canone historico.

5. Ex quo tempore Carolus Magnus Francorum Rex suis armis, Rege Longobardorum Desiderio proſigato, Romanam Ecclesiam in libertatem vindicavit; Romanis liberæ fuerunt Summorum Pontificum electiones ad Leonem usque octavum, qui quum, depulso Joanne Papa duodecimo per vim sacrilegam, fuisset ab Othone Imperatore nominis hujus primo in dejecti locum ac sedem promotus, derivatum tandem in Imperatores Occidentis jus istud fuit Pontificis Romani electionis, quo deinceps usi, quin potius abusi sunt Imperatores Germani ad Henricum usque tertium ex Franciæ Ducibus Imperatorem, quando Gregorius Papa septimus integrum istud jus ab Imperatoribus Germaniæ Romanum ad Clerum revocavit; quum vero eandem eligendi Papæ potestatem adhibita vi sacrilega Henricus quartus, tertii filius, a Paschali secundo extorsisset, idem Paschalis coacta Synodo concessionem injustum revocavit. Sanctissimus quidem Papa Gregorius Magnus in comm. ad Psalm. 4. penitentialem, vocat tyrannicam sæculi sui consuetudinem ex Imperatorum Græcorum prohibitione, ne suo injussu, immo non nisi accepta magna pecuniarum contributione Romanorum Episcopi ordinarentur.

6. Haud plane compertum est, quandonam solis S. R. E. Cardinalibus fuerit attributa Summi Pontificis electio. Constitutio quidem de Cardinalium Conclavi procusa promulgataque est in isto secundo Lugdunensi Concilio. Perspicuum vero est ex Petri Damiani testimonio, jus eligendi Papæ pertinuisse ipsius tempore ad solos Ecclesiæ Romanæ Cardinales. Verisimile est, sumptum fuisse rei hujus institutum a Leonis noni inauguratione, quando Hildebrandi studio ac opera electus Romæ Pontifex fuit, postquam eundem Imperator Henricus secundus Papam creaverat. An vero ante Othonem primum fuerit penes solos Romanæ Ecclesiæ Cardinales Papam eligendi auctoritas, incomperata res est.

7. De Cardinalium porro Eminentia sic refert Petrus Damiani & ipse Cardinalis, qui sub Leone nono ejusque successoribus virtutum omnium laude florebat, lib. 1. epist. 20. *Romana Ecclesia Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum atque Primatum iura transcendunt: salvo quippe universalis Ecclesiæ Sacramento, ipsi sunt oculi unius lapidis, ipsi lucerne unius candelabri.* S. Bernardus lib. 4. de consider. Cardinales vocat Orbis iudices; quia iudicis Summi Pontificis assident, ejusque Senatam constituunt. Extat rescriptum Pontificis Eugenii IV. ad Henricum Cantuariæ Archiepiscopum & Angliæ Primatem, quod refertur a Jacobatio Cardinali lib. 1. de Concilio, ibique sic loquitur Eugenius Papa: *Ipsos præterea Cardinales pro honoris & dignitatis Eminentia, partem sui corporis Summi Pontificis appellant; ex quo sine ulla dubitatione ostenditur post caput Ecclesiæ, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt fratres ejus Cardinales, præ ceteris Ecclesiæ membris ac partibus honorari debere.* His etiam ista Eugenius adjungit: *Quoscumque Primates & Episcopos a Cardinalibus Summo Pontifici assidentibus iudicari, & singulos Episcopos singulis ac particularibus Ecclesiis præesse ac providere: Cardinales autem universa sub Papa Ecclesiæ. Præsertim idem superiorum Conciliorum exempla, præsertim duorum Lugdunensium, in quibus Cardinales contra omnem ambiguitatem honoratorem præ cunctis Episcopis*

Episcopis locum tenere, tenentque etiam nunc in Concilio, quod tunc agebatur Florentino. Insuper Leo Papa X. in Concilio Lateranensi sess. 9. afferit, S. R. E. Cardinales reliquos omnes post Papam dignitate honoreque antecellere. Novissime Tridentinum sess. 15. de reform. c. 1. ait, Cardinalium consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ administrationem niti.

8. Quin etiam his longe omnibus antiquior Joannis Papæ octavi, qui sæculo nono vixit, constitutio declaratur: *Romana Ecclesia Cardinales eo fungi apud Romanum Pontificem officio in sancta Dei Ecclesia, quo seniores septuaginta apud Moysen in Synagoga. Quapropter decretum confirmat prædecessoris sui Leonis quarti: Ut scilicet bis in hebdomada Cardinales ad sacrum Palatium Apostolicum conveniant; ut provideant & decernant pro universalium Ecclesiarum sollicitudine, pro Clericorum disciplina, & pro laicorum querimoniis auscultandis & definiendis.* Ex quibus liquet in Cardinalibus constitui universalis Ecclesiæ amplissimum Senatam, atque ordinarium Pontificis maximi Concilium. Nulla quippe tam præcellens est in terris sapientia, ut consiliorum administratio non egeat. Et præclare observat S. Chrysostomus hom. ad c. 1. Act. Apost. Petrum Apostolorum Principem Sancti Spiritus donis cumulatifime ornatum & munitionem, nihil per propriam auctoritatem aut imperium constituisse, sed occurrentibus gravis momenti rebus ex fratrum consilio agere solitum; ut constat in electione successores Judæ ad Apostolatam; in electione septem Diaconorum; atque in disceptatione circa legalium observationem exorta. Ex quibus perspicuum est S. R. E. Cardinalibus respectu attribuendum esse, quod ipsi decernerunt Imperatores I. unica, Cod. de præpositis labor. 11. *Immunitate digni sunt, quos lateris nostri comitatus illustrat.*

9. Cardinalium primum, quæ legitur mentio, fit in Romano Concilio sub Silvestro primo, cujus can. 6. refertur fuisse tunc temporis Cardinales Diaconos septem in Romana Ecclesia. Post annos vero circiter trecentos Sanctus Gregorius Papa sæpe numero meminit Cardinalium Sacerdotum & Diaconorum; nec tantum Romanæ Ecclesiæ, sed remotiorum etiam Ecclesiarum. Siquidem lib. 2. epist. 13. indic. 11. constituit in Ecclesia Terracina Sacerdotem Cardinalem. Eodemque lib. ep. 6. indic. 10. Joannem constituit Episcopum pariter Cardinalem in Syllatina Ecclesia. Et lib. 3. epist. 14. providet, ut in Syracusanam Ecclesiam quidam cooptetur Diaconus Cardinalis. Similiter lib. 5. epist. 11. concedit Fortunato Episcopo Neapolitano, ut Gratianum constituit in Neapolitana Ecclesia Diaconum Cardinalem. Porro additionem ejusmodi ad aliquam Ecclesiam Episcopalem, vocat passim Gregorius Magnus nunc *cardinationem*, nunc *incardinationem*. In ejusdem etiam vita lib. 3. c. 15. testatur Joannes Diaconus, his verbis: *Civitatam desolataram Pontifices Gregorius vacantibus civitatibus incardinare curabat.* Exemplumque subjicit Martini Ecclesiæ Tomitanæ Episcopi, quem, quia fuerat illa Ecclesia ab hostibus devastata, vacantis jam Alerianensis Ecclesiæ Episcopum Cardinalem constituit. Præterea Meldensis Concilii can. 55. constituit: *Ut Episcopus titulus Cardinales in urbis vel suburbii constitutos ordinet atque disponat.* Ut fateri necesse sit titulos Cardinalium fuisse quoque aliarum a Romana Ecclesiarum; nec tantum Episcopalem seu Cardinalium, verum etiam inferiorum, in quibus Sacramenta fidelibus conferenda ex officio erant.

10. Ceterum ex Divi Gregorii Papæ præfatis litteris, & ordinationibus id ego colligo, quod cum liberum Episcopis esset Sacerdotes & Diaconos subiectis sibi Ecclesiis præficere, & præterea populis vacante sede Episcopali novos sibi Episcopos eligere; haud tamen licuit se alienis ex Ecclesiis Clericos istdem addictos educere, suaque in Ecclesiis transferre, quatenus ejusmodi translationes Episcoporum Sacerdotum & Diaconorum fieri Nicæna Synodus prorsus interdixit can. 15. Ideoque opus esse Apostolica, ut id liceret, dispensatione, quam præfatis locis Sanctus indulget Gregorius, iusta faciente causa, excisis scilicet prius Ecclesiis Barbarorum immanitate.

CONCILIIUM BUDENSE

anno 1279. congregatum.

1. **S**ub Romano Pontifice Nicolao III. regnante in Hungaria Ladislao, Philippus Episcopus Fitmanus Apostolicæ Sedis Legatus in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croacia, Servia, celeberrimum convocavit Concilium in Hungariæ Castro Budensi, Vesprimiensis Diocesis.

Can. I. *Quia sicut Prælati quousque sibi subditos dignitate & auctoritate præcellunt, ita moribus, vita, habitu, & conversatione honestis præcellere & procedere debent eisdem. Cum eorum vita, si sit bona, & amplius de sit mala, trahatur a subditis in exemplum, statim, quod ipsi Prælati coronam & consuram patentibus omnino auribus circulares, juxta Regularium seu Religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla religio Pontifici religione sit major, de cetero deferant.*

2. Can. II. *Præterea statuimus & ordinamus, quod Prælati de cetero, cum equitant, vel etiam in publico pedestres incedunt, habeant & deferant cappas rotundas, sub quibus habeant & deferant camisas albas, sive vestes, quas semper sub cappis sive mantellis ante pectus vel post collum hinc inde connexis deferant, cum in publico, hoc est, extra secreta habitations eorum, & ipsi congerit stare, vel ire. Prohibemus autem, ne ipsi Prælati de cetero deferant vel habeant mantellos, cum quibus habeant equitare, & quos in propriis & alienis non solum coram famulis suis, sed etiam coram aliis consueverunt deferre: permittimus etiam, quod possint habere mantellos rotundos, longitudinis moderate, eosque deferre cum capucis separatis ab eis tempore pluvioso, nivoso, seu pruinoso.*

Qui sequitur Canon III. prohibet tum Prælati, tum aliis in dignitatibus constitutis, tum Canonicis, tum etiam quibusvis Sacerdotibus manicas deferre consuetas, vel togas, aut supertunicas apertas: jubetque, ut superiora indumenta circa habeant clausa desuper usque ad fimbrias, & sine collaribus, nisi forte in mantellis ad equitandum; & ne in fibulis aut globulis quidquam auri, vel argenti, fuisse aliis in indumentis gerant, mandaque Ordinariis, ut ejusmodi prohibitas vestes a deferentibus auferant; & pertinaces a beneficiis sint ipso facto suspensi, vestes autem & ornatus vetiti in usum pauperum vertantur.

3. Can. IV. *Quibuscumque Clericis, præterquam Prælati, usum interdicit annulorum; quos decernit, ut in egenorum solatium erogentur, & contumaces Clerici ab ingressu Ecclesiæ arceantur, donec obtemperant.*

4. Can. V. *Tabernaculum ingressum vetat Clericis: alioquin ab ingressu Ecclesiæ excludentis. Quæ sane prohibitio frequens in veteribus canonibus habetur.*

5. Can. VI. *Perpetuo prohibemus edito, ne Prælati & alii Clerici, cuiuscumque sint Ordinis, dignitatis, aut status, seditionibus, preliis, spoliis, rapinis, incendiis, & aliis levis factis se aliquatenus immiscere præsumant, nec bellicis actibus se implicent vel involvant: nisi forte pro Ecclesiæ suarum, & patriæ defensione, non ad impugnandum vel propulsandum, sed ad defensionem tantum, si necessitas eos compellat: & tunc in propriis personis non pugnent.*

Huc pertinet canon Concilii Pictaviensis: *Clerici (inquit) arma portantes, & usurarii, excommunicantur.* Habetur in c. Clerici, de vita & honest. Cler. Concilium etiam Meldense can. 37. *Clericos arma deferentes proprii gradus amissione mulctat.* Citatur a Gratiano c. quicumque 23. q. 8. *armatorum tamen comitatu ad propriam securitatem uti ac munire se possunt exemplo Pauli Apostoli, qui ne ab insidiatoribus Judæis per viam occideretur, obtinuit a Tribuno milites armatos, a quibus tuto deducetur.* Idque exemplum profert Augustinus epist. 50. ad Bonifacium. Vide c. Maximianus, 23. q. 3. Attamen Glossa in d. c. Clerici, de vita & honest. tradit, posse Clericum arma portare ad terrorem latronum, quando ipsi per loca periculosa incedendum est. Et concordat textus in auth. statimus, C. de Episc. Cleric. Vide paulo infra hujus Concilii can. XI.

Can. VIII. *Clerici officia vel commercia non exerceant, maxime inhonesta: mimis, histrionibus, & jocularibus non intendant, & tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere consistunt. Ad aleas & tavillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint, comam & consuram patentibus auribus habeant congruentes, & in Officiis Ecclesiasticis & in aliis bonis studiis se exercent diligenter. Exercentes autem in talibus a suis moneantur Prælati, & si moniti parere contempserint, ab officio & beneficio suspendantur. Nec prius talis suspensio revocetur, quam ad arbitrium Prælatorum pro eo fuerit satisfactum; ac sub certa pena sufficienter caveant, quod in talibus vel similibus ulterius non excedent.*

Vide his conformia in c. his igitur, c. tales, c. quantum, c. prohibere, cum duobus seqq. dist. 13. & 21. q. 4. per tot. Et totum tit. de vita & honest. Cler.